

www.e-rara.ch

**In libros paralipomenon sive chronicorum Ludovici Lavateri Tigurini
commentarius**

Lavater, Ludwig

Tiguri, 1573

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: 5.52

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-4157>

Caput I.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Que genealogias obscuras reddant.



N genealogijs quæ initio huius libri, vsque ad caput decimum continentur, magna est obscuritas. Sunt enim non pauca quæ in his & alijs quoque genealogijs, difficultatem pariunt. Ego illa quæ in hoc præcipuè libro obseruavi, paucis ad excitandam aliorum diligentiam, annotabo. 1. Quidam duobus, tribus aut etiam pluribus nominibus appellantur, vt Iacob & Israel. 2. In familijs multi interdum sunt *ἑτερονυμιοι*, hoc est, eodem nomine vocantur. Apud Latinos distinguendorum filiorum atque nepotum causa, prænomina inuenta esse, tradit Varro. 3. Nomina propria variè scribuntur, aliquando in principio, aliquando in fine, vt Oſias, Hoſias, Vzias, Vziah. 4. Solent etiam nomina contrahi decifis literis vel in principio, vel in medio, vel in fine, vt Iehoiacim, Iohacim. Iechonias, Chonias. Matathias, Matthias. 5. Pater aliquando pro auo, vel vno ex maioribus accipitur. Interdum etiã dominum loci alicuius significat: filij dicuntur qui sunt nepotes, fratres qui sunt cognati, vel etiam collegæ. Sic mater pro auia, filiæ pro neptibus, item pro oppidis vel pagis accipiuntur. 6. Patres & matres filij & filiæ sunt aut naturales, aut legales, vel adoptati. Lex enim erat apud Hebræos Deut. 29. vt si quis orbus decessisset, eius frater, defuncti posteritatem instauraret. Sic nati duos habebant patres, alterum secundum naturam, alterum secundum legem, in cuius nomen & progeniem succedebat, id tamen negat Oſiander cap. 6. in Harmonia Euangelica. 7. Nomina sæpe mutantur. Nabuchadonoſor mutauit nomen Ioachim & Zedechiæ. Hodie Romani pontifices cum sedem Papalem conscendunt, nouum nomen accipiunt. 8. Quædam nomina viris pariter & mulieribus conueniunt, vt Selomith, Epha. 9. Sunt aliqua nomina, de quibus vix potest statui, an propria sint virorum, aut gentium, an appellatiua. Infra 3. cap. u. 17. Aſſir & Selathiel, quidam Aſſir appellatiuum esse volunt, vt sit sensus, Iechonias qui captus est. 10. Aliquando vita defuncti, vno in loco nominantur, altero obtinentur. 11. Quidam putant has genealogias mancas & mutilas esse.

Nominum genera.

Quo ad varia nominum genera apud Romanos, sciendum est, quod primum vno nomine, postea duobus, tertio tribus nominibus vsi sint. Prænomen Diomedes Grammat. dicit *πρῶτον μὲν* dici à Græcis. Plutarchus primum nomen & proprium *ἰδιον* vocat. Dionys. Halicar. commune, *κοινόν* καὶ προσηγορικόν, vt Publius. Nomen quod originem gentis declarat, vel quo genus cognoscitur, vocatur gentilitium, *ἐν γένει καὶ πατρὶ καὶ ὀνόματι*, vt Cornelius. Cognomen quod nominibus gentilitijs subiungitur, vt Scipio. Agnomen extrinsecus additur varijs de causis, vt Africanus. Hæc verò etiam cognomina dici, vir doctissimus Carolus Sigonius in lib. suo de nominibus Romanorum ex idoneis authoribus probat. Hebræi aliam in nominibus imponendis rationem sequuti sunt.

Cæterum nemo putare debet, hæc capita eò quod paucas historias, sed nudas ferè genealogias, otiosamque, vt videri posset, nominum multitudinem continent, non solum insuauia, sed & inutilia esse. Etenim cum sancti homines impulsore Spiritu sancto loquuti sint & scripserint, neque hæc inutilia sunt. D. Chrysostomus Homil. 3. super verbis Isaïæ, vidi Dominum, &c. Prophetarum, inquit, ora, Dei sunt os. Hoc autem os nihil dixit obiter, quamobrem & nos non obiter & aliud agentes audiamus. Etenim si hi qui fodiunt metalla, ne minima quidè frustula prætereunt: verum vbi nacti fuerint aliquam auri venam, meatus omnes exactè circumspiciunt: multo magis hoc nos oportet facere in sanctis scripturis. Addit, Hæc non temere à me dicta sunt, neque fortuito veni in eum sermonem: sed quia sunt homines quidam opifices, qui posteaquam sacros libros in manus sumpserint, deinde repperint vel annorum numerum positum, vel nominum catalogum, illico prætercurrunt, & incusantibus respondent: Nomina tantum sunt, & non habent quicquam utilitatis. Quid ais? Deus loquitur: & tu audes dicere, nulla est dictorum utilitas? Etenim si ad nudam scripturam tantum aspexeris, dic mihi, nonne resistes cum studio, repositasque opes scrutaberis? Sed quid loquor de temporibus, & nominibus, & titulis? Disce quantum valeat vnius duntaxat literulæ adiectio, ac define tota nomina contemnere. Patriarcha noster Abraham prius dictus est Abram: posthæc verò nomine commutato, dictus est Abraham, hoc est, pater omnium gentium. Et vnicum elementum adiectum, tantum principatum vindicauit iusto. Verum de nominibus alio tempore disseram. Quantum autem fructus, si cognoscatur, quantum damnum si ignoretur, aperiendum est. Ac primum quidem id à rebus temporarijs demonstrabo. Testamenta & tabulæ de nuptijs, debitis, & de reliquis contractibus, habent in frontispicio consulum nomina, vt omnibus quæ subijciuntur præluceant: quæ si sustuleris, lumen sustuleris. Propterea omne dati acceptique negotium siue cum amicis, siue cum inimicis,

siue

siue cum famulis, siue cum procuratoribus & œconomis agatur, hac eget cautione, & vbique menses, annos & dies subscribimus. Quòd si tantum valet ea res in negotijs temporalibus, in spiritalibus multò amplius profuerit. Si quidem hoc declarat, prophetias esse prophetias. Nec enim aliud quicquam est prophetia, quàm rerum venturarum enarratio. Proinde qui nescit tempora eorum quæ dicta sunt, aut quæ euenerunt, quàm poterit homini cõtentionoso demonstrare prophetiæ certitudinem? Hinc nobis & aduersus gentes certamina contentionesque, quum nostra demonstramus antiquiora, quàm quæ apud illos habentur. Hinc nobis aduersus Iudæos infelices, multis opus est demonstrationibus, ad euincendam veritatem aduersus Iudæos inquam miseros, qui ob ignorantiam temporum, in grauissimum errorem sunt prolapsi. Nam si audiissent Patriarcham dicentem: Non deficiet princeps ex Iuda, & dux de femoribus eius, donec venerit, cui repositum est: si quæ obseruassent exacta diligentia dominici aduentus tempora, non incidissent in Antichristum, à Christo dilapsi. Et quemadmodum in agris termini columnæque non sinunt arua confundi, sic tempora non sinunt confundi res gestas, &c.

Obijcitur nobis locus Pauli 1. Timoth. 1. cap. & ad Titum. Quemadmodum rogaui te, vt remaneres Ephesi, cum proficiscerer in Macedoniam, ita facito, vt denuncies quibusdam, ne diuersam sequantur doctrinam, nec attendant fabulis & genealogijs nunquam finiendis, quæ quæstiones præbent magis, quàm ædificationem Dei, quæ est per fidem. Apostolus hoc loco non reuocat nos ab illarum diligenti perquisitione, quæ in sacris literis positæ sunt, sed ab alijs. Iudæi referebant genus suum ad Abrahamum, & inuestigabant lineam successionis ex quadam ostentatione, vt nobiliores haberentur, hæc inutilia esse dicit & incerta. Nostre tempore extiterunt adulatores, qui magnorum principum genealogiam pertexentes, intulerunt in eas omnes ferè quotquot à diluuiò bellica laude & virtute excelluerunt. Quin etiam in illis quæ sacris literis continentur, nimis curiosum esse, & eis diutius immorari, non conducit. Etsi enim omnes scripturæ sacræ loci sunt vtiles, tamen alij alijs sunt fructuosiores. Quod nobis nonnulli parum ædificationis habere videantur, nostræ tarditati hoc est ascribendum.

Quæ igitur, inquis, ex hac priorum nominum, tam hominum quàm locorum, sylua, utilitas erit excerptenda? præcipuas annotabo, quasdam iam ante ex Chrysostomo audiui. Primum genealogiæ ad hoc sunt vtiles, vt videamus ex qua familia & stirpe Messias nasci debuerit, & vbi expectari, quantum ad carnem attinet. Nihil enim de Christi generatione dicitur, quæ secundum diuinam naturam ab æterno, à Deo patre ineffabili modo genitus est. Quis enim illam verbis explicaret? Hoc mysterium adorandum potius est, quàm scrutandũ. Linea generis Christi deducitur ab Adamo ad Noeũ, & à Noeo per Sem ad Abrahamũ, cui renouata est promissio, postea per Isaacum in Iacobum, qui Gen. 49. ex Iuda Messiam nascendum prædicit: in tribu Iuda domus Davidis designatur. Matthæus ab Abrahamo exorsus ad sponsum Mariæ virginis descendit: Lucas verò 3. cap. à Iosepho faciens initium, ad Adamum vsque ascendit. Facit autem hoc ad confirmandam fidem de exhibito Messia, si videamus per quos auos & maiores genus Christi à Maria vsque ad Adamum ascendat. Deinde ex his constat per quos doctores, & quibus testibus, cœlestis doctrina ad nos inde ab initio propagata, & ecclesia gubernata sit: Item quo ordine & quibus modis Deus se patefecerit, suasque promissiones de Messia repetiuerit. Tertiò, videmus ecclesiam, per pusillum gregem, conseruatam diuina bonitate: non solum doctoribus, sed etiam discipulis, vt in acie subinde succedentibus prioribus qui decedunt: item quibus in locis illa fuerit. Quartò, prodest genealogias scire propter seriem historiarum, & admonitiones in singulis historijs, quas nobis in memoriam reuocant. Quintò, ostendunt quòd non modò pulchrum, sed & vtile est videre originem, propagationem & distributionem multorum populorum, gentium & regnorum: item qui doctores, principes, reges, omnibus seculis celebres extiterint. Sextò, ostendunt omnes à Noeo genus ducere, quæ res ad conciliandum mutuum amorem facere debet, & ne generis fiducia insoleamus. Septimo, conducunt hæc ad intelligentiam multorum locorum scripturæ. Maior autem fuit vsus genealogiarum ante Christum natum inter Iudæos, quàm nunc sit. Inter eos enim terra erat distributa secundum tribus & familias: publica item officia sacerdotum & regum, secundum tribus eorum distincta erant: Necessarium igitur fuit distinctiones genealogiarum obseruare. Quidam dicunt genealogiam Christi per gradus scalarum, quas Iacob in somnis vidit, significatam esse: in summo est Iesus Deus & homo. Aggrediamur his præmissis, ad primi capitis explicationem.

Utilitas genealogiarum.

1.

2.

Anthropologia.

3.

4.

5.

6.

7.

1 Adam, Seth, Enos.

2 Cenani, Mahalaleel, Iered.

- 3 Hanoch, Methufelah, Lemech.
- 4 Noah, Sem, Ham, & Iepheth.
- 5 Filij Iepheth: Gomer, & Magog, & Madai, & Iauan, & Thubal, & Mefech, & Thiras.
- 6 Filij autem Gomer: Asthenaz, & Riphath, & Thogarmah.
- 7 Filij verò Iauan: Elifah, & Tharsis, Chitthim, & Dodanim.
- 8 Filij Ham: Chus, & Misraim, Put, & Chenan.
- 9 Filij verò Chus: Seba, & Hauilah, & Sabtha, & Raamah, & Sabtecha. Filij autem Ramamah: Seba, & Dedan.
- 10 Chus autem genuit Nimrod: ipse coepit esse potens in terra.
- 11 Misraim verò genuit Ludim, & Anamim, & Lehabim, & Naphthuhim.
- 12 Et Patrusim, & Chasluhim, è quibus egressi sunt Pelisthim, & Caphthorim.
- 13 Chanaan autem genuit Sidon primogenitum suum, & Heth.
- 14 Et Iebusæum, & Emoræum, & Girgaseum.
- 15 Et Hiuæum, & Arceum, & Sinaum.
- 16 Et Aruadæum, & Semaræum, & Hamathæum.

In hoc primo capite continetur brevis repetitio genealogiæ Adami vsque ad filios Esau & Jacob: in sequentibus nouem capitibus genealogiæ deducuntur, vt supra diximus, ad Christi, seruatoris nostri ferè tempora. Vetusti patres, ætates huius mundi senario numero definiunt, non annorum sed nepotum numero & stirpis successione. Prima ætas ab orbe condito vsque ad diluuium extenditur: Secunda à diluuiò ad Abraamum: Tertia ab Abraamo ad Dauidem: Quarta à Dauide ad exilium Babylonicum: Quinta ab exilio ad Christum. Vltima à natali Christi, ad vltimum iudicium. Annos superiorum colligunt ex sacris literis, vltimæ verò ætatis annos, nemo scit, præter Deum. Alijs alia temporum distributio placuit: quidam distinguunt metallis, quidam secundum ætates hominum, &c. de quibus multi multa scripserunt, quæ hoc loco non est necesse repetere. Nos in vltimam mundi ætatem incidimus, quæ cum vt senectus hominis, multa secum mala afferat, dare operam debemus, vt patientia illa superemus, & animos ad alteram vitam præparemus.

PRIMA ÆTAS à primordio rerum vsque ad diluuium, continet annos 1656. qui ex Patriarcharum successione colliguntur. Fuerunt autè in prima hac ætate vel seculo, decem Patriarchæ, qui sibi mutuo successerunt. Produxit Deus horum vitam ad multos annos, vt testes essent operum ipsius, & artes bonas inuenire possent. Quæ autem insigniora hac prima ætate, & sub his patribus contigerint, ex libro Geneseos est repetendum: veluti sunt, Creatio cæli & terræ intra spacium sex dierum, Creatio hominis, institutio Sabbati & matrimonij, peccatum, promissio, rerum inuentores, raptus Enoch, imparia coniugia, impij diluuiò deleti, conseruati pij, &c. Adamo mox à rerum origine nati sunt ex Eua, Cain & Abel, in quibus coepit ciuitas Dei & ciuitas diaboli. Seth propagauit semen sanctum & fideles homines: qui & filij Dei vocantur: Cain verò mendax & homicida, peruersos homines, qui & filij Adæ vocantur. Cumque permiscerentur filij sanctorum cum filiabus hominum & Cainitarum, ex inæquali coniugio sunt nati Nephilim, defectores & ambigui homines, qui etiam cum penitus deprauatis, diluuiò deleti sunt. Ideo autem hoc loco Abelis & Caini nulla fit mentio, quòd ille sine prole obiit, huius verò tota posteritas diluuiò est deleta. Quoniam autem genealogiæ cæcæ sunt sine demonstratione, in tabulis visum est omnia exactius proponere.

- 17 Filij Sem: Elam, & Assur, & Arpachsad, & Lud, & Aram, & V, & Hul, & Gether, & Mefech.
- 18 Arpachsad autem genuit Selah, & Selah genuit Eber.
- 19 Ipsi autem Eber nati sunt duo filij: nomen vnus, Peleg, quia in diebus eius diuisa est terra: & nomen fratris eius Ioctan.

- 20 Iocfan autem genuit Almodad, & Seleph, & Hafarmauet, &
 Irah.
 21 Et Hadoram, & Vzai, & Diclah.
 22 Et Ebal, & Abimael, & Seba.
 23 Et Ophir, & Haphilah, & Iobab. omnes isti, filij Iocfan.
 24 Sem, Arpachfad, Selah.
 25 Eber, Peleg, Reu,
 26 Serug, Nahor, Therah,
 27 Abram: ipse est Abraham.

SECUNDA ÆTAS à Sem vsque ad Abrahamum se extendit, annos continet 292. sicuti prima ætas decem Patriarchas habuit, ita hæc quoque, qui etiam *μειρόβιοι* fuerunt. Nomina eorum hæc sunt, Sem, Arphaxat, Sale, Eber, Phalech, Reu, Saruch, Nahor, Thare, Abraam. Cainan qui in Luca Arphaxato iungitur, non est in Hebræo, sed à Septuaginta interpretibus additur. Vir doctissimus Theodorus Beza in sua noui Testamenti translatione, autoritate veritatis Hebraicæ motus eum expungit. Sunt inter recentiores qui putant legendum in Luca, Arphaxat qui & Cainan, vt sit cognomen. Genes. 10. Iaphet maior natu fuisse dicitur. Gen. 9. Cham minimus inter fratres, Sem medius. Prima autem eius fit mentio, quia Abraham & proinde Christi pater fuit. Quod quidam illum ipsum fuisse volunt, qui Melchisedecus dicitur, pugnat cum auctore Epistolæ ad Hebræos, qui Melchisedecum parentes ignotos habuisse scribit. Mentio fieri debuit duntaxat Semi, à quo Abraam & Dauid descendunt, sed propter eorum nobilitatem (genarchæ enim & conditores populorum atque nationum fuerunt, à quibus, diuisis apud Babylonem linguis, coloniæ in orbis habitati partes deductæ sunt) omnes tres, eorumque genealogias recenset, id quod in alijs quoque factum est. Quæ autem sub his luminibus memorabilia contigerint, ex libro Geneleos repetendum est. Noe terra siccata cum filijs & nurijs, vxore sua, & omnibus animantibus egressus, Deo sacrificia obtulit. Deus fœdus suum renouauit, & deinceps mundum diluuium non perdendum esse promisit, huius rei signum Iridem in nubibus dedit. Permisit item esum carnijs hominibus, esum verò sanguinis prohibuit, & legem contra cædes iniustas sanciens, magistratum constituit. Noe vini repertor in ebrietatem incidens, Chamo filio, à quo contumelia affectus fuerat, infausa prædixit. Tres terræ partes filijs suis sorte diuisit, vt Epiphanius refert, Semo Asiam, Iapheto Europam, Chamo Africam, item Syriam & Arabiam attribuens. Quæ diuisio incidit in annos Phaleg, qui propterea nomen istud sortitus esse dicitur, quod diuisionem significat. Ad hoc tempus turris Babylonicæ extruccionem, confusione linguarum impositam referunt, Gen. 10. 11. Quibus regionibus tres illi filij, à quibus omnes gentes ortæ sunt, nomina dederint, cum apud interpretes libri primi Mosis, tum apud alios est videre.

A Patriarcha Eber Hebræos denominatos volunt, sed cur magis ab illo, quam ab alijs nomen habere debuerint, non liquet: nisi fortè quòd omnium diutissimè post diluuium vixit: mihi illorum magis probatur sententia, qui sic dictos sentiunt à præpositione Eber, trans, quòd primus Hebræus nempe Abraham, ultra Euphratem venerit. Vide hac de re Munsteri annotationes in 11. cap. Genes.

Hebræi unde dicti.

Separatim commemorat Chus genuisse Nimroth, qui potens fuit in terra, hoc est, cœpit regnare in terra in qua degebat. In Genesi vocatur robustus venator coram Deo, quia Deus excitauit eum, ei que robur concessit, vt homines contumaces ferarum instar caperet, & ad iudicia ac pœnas etiam inuitos pertraheret. Primus rex fuit in monarchia Babylonica siue Assyriaca. Metasthenes ex Beroso Saturnum vocat. Imperia sunt ex Deo, qui tyrannos quoque certas ob causas finit in orbe grassari. Hic egressus esse scribitur in Assur, & ædificasse Ninuen, quod alij de filio Sem intelligunt, qui Chamitarum impietatem fugiens, alibi sedes quæsierit. Xenophon Assyrium nepotem Nimroth fuisse scribit, cognomine Ninum, à quo vrbs à se condita nominata sit. Filium Nimrodi Iouem Belum vocant, &c. A Iapheti nepote Ascenas, regnum Germanorum ortum esse volunt, in quo multi egregij principes fuerint, quorum nomina aliunde possunt repeti. Abrahami nomen cur mutatum sit, habetur Genesis decimoseptimo. Saram quidam putant Thare filiam, sororem Abraham fuisse, sed ex alia vxore, Genesis vigesimo: alij neptim Thare ex filio, & neptim Abraham ex fratre, Genesis vigesimo capite. Genes. vigesimo nono, Laban filius Nahor dicitur: igitur Bathuel alio nomine Nahor dictus est, vel filius, id est, nepos Nahori fuit, quod frequens est in sacris literis.

- 28 Filij Abraham: Isaac & Ismael.
 29 Hæ generationes eorum: Primogenitus Ismaelis, Nebaióth: & Cedár, Adbeel, & Mibsam.
 30 Mismá, & Dumáh, Massá, Hadad, & Thema,
 31 Ietur, Naphis, & Cedmah, isti sunt filij Ismael.
 32 Filij autem Cethurah concubinæ Abraham, ea peperit Zimran, & Iocfan, & Medan, & Midian, & Isbah, & Sua. Et filij Iocfan: Seba & Dedan.
 33 Et filij Midian: Ephah, & Ephher, & Hanoah, & Abida, & El-daah, omnes isti filij Cethurah.
 34 Genuit autem Abraham Isaac, filij Ishac: Esau & Israel.
 35 Filij Esau: Eliphaz, Reuel, & Ieus, & Iaalam, & Chorah.
 36 Filij Eliphaz: Theman & Omar, Sephi, & Gaatham, Cenaz, & Thimna, & Amalec.
 37 Filij Reuel: Nahath, Zerah, Sammah, & Mizzah.
 38 Filij autem Seir: Lotan, & Sobal, & Sibon, & Anah, & Dison, & Eser, & Disan.
 39 Filij autem Lotan: Hori, & Homam, soror verò Lotan, Thimna.
 40 Filij Sobal: Alían, & Manabath, & Ebal, Sephi, & Onam. Filij autem Sibon: Aiah, & Anah.
 41 Filij Anah: Dison. Filij autem Dison: Hamran, & Esban, & Ithran, & Cheran.
 42 Filij Eser: Bilhan, & Iaauan, Iaacan. Filij Dison: Vs & Aran.
 43 Isti autem sunt reges qui regnauerunt in terra Edom antequam regnaret Rex aliquis super filios Israelis: Bela filius Beor: & nomen ciuitatis eius Dinhabah.
 44 Et mortuus est Bela, regnauitq; pro eo Iobab filius Zerah, & Borah.
 45 Et mortuo Iobab, regnauit pro eo Hufam de terra Temanæorum.
 46 Mortuus est præterea Hufam, & regnauit pro eo Hadad filius Bedad, qui percussit Midian in agro Moab: & nomen ciuitatis eius Auith.
 47 Mortuo item Adad, regnauit pro eo Samlah de Masfrecah.
 48 Mortuus est autem Samlah: & regnauit pro eo Saul de Rehoboth flumine.
 49 Mortuus est & Saul, & regnauit pro eo Baalhanan filius Achor.
 50 Mortuus est deniq; Baalhanan, & regnauit pro eo Hadad: & nomen vrbs eius fuit Pai: nomen item vxoris eius Mehetabel filia Ma-tred filia Mezahab.
 51 Mortuus est postremò Hadad. Fuerunt autem duces Edom, dux Thimna, dux Aliah, dux Ietheth.
 52 Dux Aholibamah, dux Elah, dux Pinon.
 53 Dux Cenaz, dux Theman, dux Mibsar.
 54 Dux Magdiel, dux Iram. Isti duces Edom.

TERTIA AETAS, vel tertium seculum, ab Abrahamo extenditur vsq; ad Dauidem, annos continet 842. Hoc seculo vixerunt patriarchæ 14. Isaaci & Iacobi hoc capite fit mentio, & sobolis ipsorum, de reliquis capite secundo agitur: Quæ autem memorabilia sub illis acciderint, historia librorum Moysis, Iudicum, Ruth, & regum declarat, & breuiter à claris, viro Henricho Bullingero

Bullingero in sua historiarum sacrarum epitome repetuntur, vnde desumi possunt ab illis qui hunc librum publicè volunt exponere, vel ex alijs qui historias ab origine mundi breuiter complexi sunt. Ex Ismaele orti sunt duodecim duces, vel principes, à quibus Agareni descendunt. Lyranus 1. Paralip. 5. annotat, quòd quidam Agarenos à Cedar secundo Ismaelis filio ortos esse putent.

Quæ verò in hoc capite, & in aliquot locis libri Geneseos de vxoribus, filijs & nepotibus Esau narrantur, obscura sunt. Dicam igitur quid ex diligenti scripturarum collatione de his statuendum videatur. Genesis 26. Esau scribitur inconsultis parentibus duas duxisse vxores, vnam Iehudith filiam Beeri Hitthæi, alteram Basmath filiam Elon Hitthæi. 28. cap. cum vidisset parentes suos offensos suo matrimonio, Mahalath filiam Ismael filij Abraam duxit. Cap. 36. primum ponitur Ada, deinde Aholibamah Chananæ, & Basmath filia Ismaelis: Mox alio ordine (nimirum quo filios pepererunt) primum Adah, deinde Basmath, tertio Aholibamah recensetur.

*De Esau vxori-
bus & liberis.*

1. Iehudith, vt quidam volunt, eadem est cum Aholibamah, quod si verum est, Anah alio nomine dictus est Beeri, sed scriptura Anah Hiuxum, Beeri verò Hitthæum fuisse tradit, ideò hæc opinio non est firma. Quidam igitur volunt Iehudith mortua, Esau duxisse Aholibamah: Iuditham Gene. 36. omitti, quia liberos non habuerit. Quanquam dici posset, vnam ex illis gentibus proscriptis, pro alia sæpe sumi. Deinde 36. Gene. dicitur Esau accepisse vxores suas, nempe Ada, filiam Elon Hitthæi, & Aholibamah filiam Ana, filia Zibeon Hiuxi, &c. non probabile est illum Aholibamah Hiuxi filiam ducturum fuisse, quia etiam illo coniugio offendisset suos parentes.

2. Basmath odoriferam significat, sic autem honoris causa Mahalah Ismaelis filia dicta videtur in domo Isaaci, quòd Esau eam ad placandos parentes ex Abrahami familia duxisset: alteram verò Basmath alio nomine Adah vocasse, sed hæc non sunt magni momenti. 3. Aholibamah Ana & Zibeon filia fuisse dicitur: hinc quidam volunt filiam fuisse Anah illius filij Zibeon filij Seiri, qui postea inter Horræos recensetur. Sed absurdum videtur, quòd Esau pater proneptim Seiri, filius verò eius Eliphaz, filiam illius, nempe Timnah, quæ Lothan Horræi soror fuisse scribitur, in vxorem duxerit. Deinde si diligenter expendas, Aholibamah illa, quæ in Horræorum familia Gene. 36. recensetur, non fuit Zibeonis neptis ex filio Anah, sed filia Anah, neptis Seiri. Liberi enim duntaxat numerantur in Genesi, & hoc loco, nō nepotes. Quanquam initio capituli dicitur Esau duxisse Aholibamah filiam Ana filij Zibeon: alia igitur fuit ab illa, quæ in dicto catalogo ponitur. 4. Corah inter duces filios Eliphaz in Genesi numeratur, cum tamen initio in catalogo filiorum Eliphacis nulla eius fiat mentio. Si dicamus postea tandem natum esse, mirum tamen est in catalogo filiorum quarto loco Gatham, quinto Kenaz positum esse in libro Genes. & Paralip. omisso Corah, qui in enumeratione ducum videtur sexto non quinto loco ponendus fuisse, simpliciter dici potest supra omisum esse. 5. Liber Paralipomenon, Kenazo subiungit Timnah & Amelec, in Genesi dicitur Thimna concubina fuisse Eliphazi, ex qua Amelechum sustulerit. Quidam putant Timnah viri quoque nomen esse: hunc addendum reliquis filijs, vt Eliphazo in vniuersum 8. ascribamus. Iudæi sic appellatum dicunt, quòd Thimnah mater eius ex partu obierit. Ego verò in libro Paralipomenon puto defectiuam orationem esse, quæ in sacris literis sunt crebræ, huncque esse sensum: Timnah & Amelec, hoc est, ex Timnah etiā Amelechum sustulit. Hæc enim verba ex Genesi interpretanda sunt. Vnde omnia quæ de familia Esau hoc loco leguntur, videntur ferè verbotim transcripta esse. Hunc sensum confirmant Septuaginta interpretes. 6. Si verò Timnah illa, soror fuit ducis Lothan Horræi, apparet Esau potentem & magnæ autoritatis fuisse, quòd illa eius concubina esse voluerit. 7. Amelech qui inter duces Esau numeratur, non videtur author gentis Amelechiticæ fuisse, quam Deus funditus deleri iussit: nam posteris Esau eos parcere iubet: fuit igitur alia gens. Gen. 14. populi Amelech fit mentio. 8. Quid autem in causa sit, quòd nepotes Mahalah non numerentur, sed tantum filij, non liquet. 9. Addendum his, quibusdam videri, quòd hic Eliphaz fuerit vnus ex amicis

Iob. Quæ in hoc cap. de filijs Seir & Esau eiusque posteris continentur, ex sequenti tabula melius intelliges.

Filij Seir qui fuit de gente Horæorū quorum fit mentio Gen. 14. primi te- nuerunt Idumæā Gen. 36. 1. Par. 1.	Lothan	{ Hori Heman. Homan in Paral.	Hi habitarunt in terra vel in monte Seir, aut Idumæa, in quā postea illis pul- sis Esau & eius posterij colloca- ti sunt. Deut. 2. Gene. 36.		Bela Filius Beor de Dinhabah ciuitate. Septuaginta.
		Thimna huius so- ror, concubina Eli- phaz, nō dicitur filia Seir. Heb. dicunt fi- lium fuisse vxoris Seir ex alio viro.		Reges Idumæo- rum 8. descen- dentes ab Esau. Gene. 36. 1. Paral. 1.	Iohab F. Zerah de Bozra. vide num Iob fuerit, & Zerah filius Esau ex filia Is- maelis.
	Sobal	{ Aluan in Paral. Alian. Manah hat Ebal Sepho in Para- lip. Sephi Onam.			Hufam de Theman è terra australi.
	Zibson	{ Aiah Anah cui tribui- tur inuen- tio Iemim, hoc est, mulorum vel ther- marum.			Hadad F. Bedad de Auith percussit Mi- dian in campis Moabiticis. 1. Par. 1. de quo alibi nihil extat.
	Anah	{ Dison Aholibama filia vxor Esau, quidam putant neptim Zi- beonis fuisse.			Samla de Masrecah.
	Dison	{ Hemdan in Para- lip. Hamram. Esban Iithran. Cheran.			Saul de Reheboth fluuiio.
	Ezer	{ Bilhan. Zahæuan. Acan in Paralip. Iaacan.			Baal Hanan Filius Achor.
	Difan	{ Vz Aran			Hadad in Paralip. Hadad de Pahu.
					Thimnah
					Aluah in Paral. Aliah, iod pro vas posito. vide an F. Sobal Horæis
					Ietheth
				Duces, princi- pes, vel potius ducatus. 11. in quos Idumæa diuisa fuit. Nā in Genesi dici- tur secundum loca & habita- tiones. Glossa etiam ducatus intelligit: vt sit sensus, dux Thi- mna s. ciuita- tis vel regionis.	Aholibamah.
					Ela. hinc forte Elath & Elaniticus sinus.
					Pinon.
					Cenaz. F. Eliphaz.
					Theman. F. Eliphaz & Theman regio Idumææ. Ierem. 49. Themanites. Iob 4.
					Mibzar
					Magdiel
					Iram.